



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

De condendo Testamento, ad diuites. D. Ioann. Chrys. Admonitio. xiiij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

vit, euigilet fides nostra, vigilantia premium de Domino receptura. Si haec mandata seruentur, si haec monita & praecepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non possumus. Serui vigiles Christo dominante regnabimus.

De condendo Testamento, ad diuites, D. Ioan.
Chrylost. Admonitio.

Quicunque mentem possidemus purā ac mundam, talem eam custodiamus: imo splendorem ipsius intendamus etiam, auctioremque reddamus. Si qui vero squalidam habemus ac sordidam, non ideo statim desperemus. Si enim, inquit, fuerint peccata nostra rubicunda velut color phoeniceus, tanquam nix albescunt: & si fuerint velut coccinum, quasi lana alba erunt. Cum Deus itaque promittat, non erit quod dubites: sed ea potius facias, quibus quae promissa sunt, in te quoque accersere queas. Innumera tibi perpetrata sunt mala, delictaque? Quid hoc? Nondum enim ad infernum usque deuenisti: nondum aduenit sponsus, ut tibi timendum sit, quis tibi de suo daturus sit oleo. Adhuc licet ut emas ac recondas: adhuc multi sunt, qui vendunt: nudi scilicet, esurientes, agroti, quiq; in carcere. Pasce illos, vestibus istos indue, iacentes visita: quae si feceris, adcurrat oleum uberiore copia, quam solent aquarum fontes. Quam primum vero hinc decesseris, nihil horum ut oportebat facere poteris. Nunc vero licet, ut ad extrema etiam suspiria Deo gratias agas: licet ut ab ipso testamento commenderis: & si non, quemadmodum si dum viuus bene ageres: licet tamen. Quo pacto? Si Christum in ipso cum heredibus tuis conscripseris: partemque illi totius sortis tradideris. Maioris quidem amoris signum fuerit, maioreque dignum mercede: si Christum dum viuus paucis.

D 5 Si

CAPVT.

XIII.

Serm. 18. in
cap. 11. ep.
ad Roman.
Esa. 1.

Matt. 25.

Si verò istud non fecisti: vel quod secundo loco licet, ag-
 gredere: nimirum relinque illum filiis tuis coheredem.
 Sed sunt quidam adeò miseri ac deplorandi, ut cum ne-
 que filios habeant, istud facere non sustineant tamen: sed
 parasitis potius adulatoribusq; aut similibus, sua distri-
 buenda curent, quam Christo: qui tot illos beneficiis ad-
 fecit. Quam igitur veniam sibi parant, qui ultra id,
 quòd Christum dum viuerent nò paucunt: neq; etiam,
 cum ad ipsum iam abituri sunt, vel de pecuniis illis,
 quarum ultra domini non sunt, aliquid illi, vel modicum,
 largiri volunt: sed adeò inimicè, adeòq; hostiliter se ha-
 bent, ut nec de iis rebus, quarum usu iam destituntur, ei
 contribuunt? Te verò Deus tuorum dominum ita con-
 stituit, ut quibus quæque conueniant, dispicias, edicasq;
 de bonis tuis: ac quæ domum tuam concernunt, disponas.
 Quam igitur excusationem habebis, si quando post hanc
 acceptam ab eo gratiam, beneficentiam istam prodide-
 ris: & velut ex diametro fidei tuæ maioribus contrarius
 fueris. Illi quippe viuentes etiam vendiderunt omnia,
 atque ad pedes Apostolorum detulerunt: tu verò nec
 moriens aliquam tuorum honorum partem pauperibus
 tribuis.

Sermone de
 Eleemosyna.

Ad Pietatis & Misericordiæ opera, D. Cypriani Ex-
 hortatio: asseuerans iustitiæ & misericordiæ ope-
 ribus, pietatem Diuinam mortalibus subuenire.

CAPVT
 XIII.

Dominus noster Iesus Christus monens & osten-
 dens, vnde mundi & purgati esse possimus: addi-
 dit eleemosynas esse faciendas, & quia seruare querit,
 quos magno redemit, post Baptismi gratiam sordidatos,
 docet denuo posse purgari. Agnoscamus itaque Diuina
 indulgentiæ munus salubre: & emundandis purgandis-
 que peccatis nostris, qui sine aliqua conscientie vulnere
 esse

Luc. II.